

B.M. II, 38.  
f. 5, 2.

II m  
28

DE  
**DATO DIPLOMATVM  
REGVM ET IMPERATORVM  
GERMANIAE  
DISPVATATIO**

---

QVAM  
CONSENSV  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
AD DISCEPTANDVM PROPOSVERVNT  
**CAROLVS GOTTLLOB ANTON**

A. M.

ET  
ANDREAS THEOPHILVS HARTMANN  
BVDISS. LVS.

---

D. XXIII. MART. A. O. R. CCCCCCLXXIII.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

X2400174

OVIDIUS

*Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.*





## PRAEFAMEN.



Non puto opus esse, me multis verbis rationem reddere, cur aliquid e re diplomatica depromtum ad disputandum proposuerim. Satis enim, ni fallor, si dicam rei diplomaticae studium semper mihi non modo iucundissimum; sed etiam utilissimum tum ad historiam, tum ad iurisprudentiam ornandam vsum esse. De dato diplomatico sive chartarum autem ideo aliquid conscribere apud animum constitui, quia eam rem non satis pro merito descriptam et pertractata esse a Viris eruditis purabam. Nolim tamen quisquam expectet a me multas res antea nondum dictas et nouitate insignes: polliceor id tantum, rem tali ordine a me pertractatumiri, quem non meminerim ab alio ullo iam esse observatum. Quare si non omnibus numeris absolutam scriptiōnem proposuerim, spero fore ut, qui sciant, in re tam prolixa et lubrica, quam est vniuersa fere res diplomatica, et imprimitis hoc illius caput, non omnia posse uno actu exhaudiri, atque ad liquidum perduci, mihi haud grauatum veniam largiantur. Duobus autem capitibus rem pertractabo: primo agam de vniuerso modo

notandi tempus in diplomatibus; altero de differentia inter datum et aënum, quae duo vocabula in diplomatibus inde a medio octavo saeculo usque ad duodecimi finem per quadringentos annos fere semper coniuncta occurrere solent.

## CAP. I.

### *De Data generatim.*

#### §. I.

**D**efinitionem dati hanc exhibet CAROLVS DV FRESNE in *Glossar v. data*. — *Data* seu *datum anni, mensis dieque et loci diplomati seu chartae facta notatio*. In Diplomatibus Imp. accedunt praeterea *indicio*, et *anni regni et imperii*, quae res igitur nullo modo in definitione datae praetermissi posunt. Pauca enim sunt diplomata Imperatorum, quae non utrumque, aut certe alterutrum habent. Omnis haec, si vellem singulatum pertractare, non de *dato* *diplomatum*, sed de *chronologia*, cum maximam partem ad eam spectent, agere viderer. Sane illorum usus, nobis interdum, praecipue in capite altero libelli nostri, attingendus erit, sed tantum necessariae demonstrationis causa. De sola igitur hac parte prima subscriptionis, *data est* vel *datum est*, disputatio nobis erit.

#### §. II.

Sunt praeter vocabulum *data* vel *datum*, etiam alia quaedam solemnia, quae vel sola vel cum illo coniuncta, in *diplomatum* subscriptionibus fuerunt usurpata. Ut:

*scriptum.* In SCHANNAT *Trad. Ful. n. 182.* in *dipl. anni 804.*

*fatum.* *Ibidem n. 237; a. 812.* Huius vocabuli frequentissimus usus fuit saeculo nono.

*actum.* Apud MARTENE et DURAND. *Collect. Ampliss. I.* p. 13. anno 704.

Signi-

Significatio vna eademque omnium est, vnumquodque enim ad confectionem instrumenti spectat. Apud Romanos adhibebatur datum, vt significaret, quo tempore aliquid et ex quo loco missum esset. Locus est SVIDAE, quem in eam rem ab omnibus laudari solitum, nos quoque hic adscribemus: (*Edit. KÜSTERI pag. 511.*)

*Δατόν παρὰ θωρακίοις σημασίᾳ τῆς ἡμέρας ηγή τεῦ καιέον, ὅτε τις ἡ ἐν πόλεως ἡ ἐν τοῖς τόπου ἀποσαλῆ.*

### §. III.

Nec vero ita Romani subscribebant, vt numerarent annum, sed vt Consulem nominarent: quam consuetudinem illi non solum in scripto, sed etiam in sermone quotidiano et in carmine usurpabant. Ita HORATIVS. *L. III. Od. 8.*

Hic dies, anno redeunte festus,  
Corticem adstrictum pice dimouebit  
Amphorae fumum bibere instituae  
Consule Tullo.

*Idem L. III. od. 27.*

O nata mecum Consule Manlio.

Verum non erat illis necesse in conficienda charta diem et Consulem addere: nec enim si qua charta illis carebat, ideo quasi minus valida relikiebatur. Itaque SCAEVOLA l. 34. §. 1. π. de pign. interrogatus, an ea epistola, quam refert, et in qua dies et Consul deest, pignus contractum sit, respondit:

*Cum conuenisse de pignoribus videtur, non idcirco obligationem pignorum cessare, quod dies et Coss. additi et tabulae signatae non sint —*

Quod autem attinet ad edicta, sanxit CONSTANTINVS Imperator, vt nullum edictum, die et Consule desstitutum valeret. Ita legitur in l. 1. Cod. Theod: de Conflit. Princip. et Edit.

\* \* \*

*Imp. Conf. A. ad Lusitanos.*

*Si qua post hac edita sive Constitutiones sine die et Consule fuerint comprehensa, auctoritate careant. dat. VII. Kalendas Aug. Sabariae. Probiani et Iuliano Conf. (a. d. 322.)*

*Idem editum CONSTANTINI a Triboniano in Codicem Iustinian. l. 4. de diuersi. Rescriptis, relatum et sic mutatum est.*

*Si qua beneficia personalia sine die et Consule fuerint comprehensa, auctoritate careant. dat. V. Kalend. August. Samariae. Probiani et Iuliano VV. CC. Conf. 322.*

**IUSTINIANVS** denique *Nouell. XXXXVII. Cap. I.* omnibus chartis addere iussit et nomen Imperatoris et Indictionem; eiusque rei causam veram et probabilem ipse aperuit,

#### §. IIII,

Nec leges Germanorum antiquissimae aliter statuerunt. Nulli enim chartae, in qua omissa esset anni et diei adnotatio, tribuebant auctoritatem. Luber nonnullas eorum leges in medium afferre.

*Lex Alemannor. ap. GEORGISCH Corp. Iur. Germ. Tit. 43. p. 215. ex editione LINDEBROGII et BALVZII, et in GOLDASTI Script. Rer. Germ. Edit. SENKENBERG. T. II. p. 17. Tit. 42.*

*Scriptura non valeat, nisi in qua annus et dies evidenter ostenditur.*

*Lex Baiuvarior. ap. GEORGISCH. l.c.p. 313. Tit. 15. cap. 13. de venditionibus.*

*Pacta vel placita, quae per scripturam vel per testes denominatos tres vel amplius, dummodo in his dies et annus sit evidenter expressus, immutare nulla ratione permittimus.*

*In Synodo Dingolting. sub Tiffil. ap. GEWOLD. ad Hundii Metrop. Salisb. T. I. p. 461. de hereditate, quae tradita est ecclesiae, ita constituitur:*

*Vi quisquis hereditatem suam antea donauerat, aut postea donaverit, si quid mutare voluerit, chartam suam ita habeat scriptam, ut locum et tempus et personam habeat. —*

Verba

verba fere eadem leguntur in *Capitul. L. VI. cap. 148.* Collect.  
Ansgisi apud **GEORGISCH** l. c. p. 1539.

*Scripturae, quae diem et annum habuerint evidenter expressum,  
atque secundum legum ordinem conscriptae esse noscuntur, seu  
conditoris vel testium fuerint signis aut subscriptionibus robora-  
tae, omni habeantur stabiles firmitate.*

Vbi deinde sensim res ita mutata est, ut requirerentur testes, et  
sigilla tum eius, qui chartam scribere iussérat, tum testium inter-  
dum, ad chartae auctoritatem: ibi hunc in usum venerunt hae  
formulae: datum praesentibus testibus; praesentes erant testes; ne  
infringatur, sigillo nostro muniri iussumus.

### §. V.

Videamus iam, quae formulae in diplomatum subscriptioni-  
bus fuerint usitatae. Non enim inde ab initio ad nostram usque  
aetatem iisdem semper verbis et formulis homines usos esse, qui-  
libet facile intelligere poterit, cum omnia omnino temporis diu-  
turnitate mutantur. Nostrum igitur erit, hanc formularum va-  
rietatem ex omni memoria collectam proponere, ut, quoniam  
Rex vel Imperator adhibuit formulam quandam, eademque non  
ab illo uno tantum, sed etiam a pluribus aliis, qui ei ordine suc-  
cesserunt, adhibita est, earum quasi quasdam epochas constitua-  
imus, quarum unaquaque plurimum successionum usitatas formulas  
complectatur.

### §. VI.

#### *Epocha prima.*

Franciae reges primae stirpis vrebantur diuersis formulis.  
**DAGOBERTVS I.** dat. sub die Id. Apr. a. VIII. apud **BALVZ.**  
*Capitul. T. I. p. 141;* Actum prid. Non. Apr. a. r. XVI. Mogunt.  
in **MIR.** Opp. *Dipl. T. I. p. 124.* Maxime tamen vrebantur  
hac, quae sub **CHILDERICO II.** videtur mihi orta esse: da-  
tum quando fecit April. dies XXIII. a. I. r. n. ap. **MIR.** l. c. *T. II.*  
p. 929. vel data quod fecit mensis Sept. die VI. a. VIII. Imp. ap.  
**MART.** *Vet. Mon. II. p. 10.* vel datum sub die, quod fecit mensis  
Mär-

Martius a. XII, regni nostri, ap. LÜNING. in Spicil. Excl. Contin. I p. 1095. Atque hanc formulam sequentes imitati sunt, quanquam isti etiam aliis formulis nonnunquam diplomata subscrivere.

## §. VII.

## Epocha secunda.

PIPINVS Caroli Magni pater adhibuit quidem interdum istam formulam, quam visitatissimam fuisse modo dixi: sed ipse introduxit etiam nouam, ut MABILLONIVS de Re Dipl. L. II. c. 26. §. 10. adnotauit. Ea haec est: Data VIII. Kal. Octobr. a. XVII. regni nostri. actum in ipso monasterio S. Dionysii, ap. Eund. Lib VI p. 495. Hunc morem postea omnes Carolidae, Saxones et Franci sequuti sunt. Vt:

CAROLVS M. ap. FALKE Tradit. Corb. p. 234.

data Kalend. Decembr. anno XI. Christo propitio Imperii nostri et XXXXIII regni in Francia XXXVII in Italia. Actum Aquisgrani.

HENRICVS I. apud Eund. p. 737. n. V.

data X. Kal. Mai. a. inc. dom. 922. Ind. X. a. autem gloriofissimi regis Heinrici III. actum in villa quae dicitur Quilitzschburg

Non alienum hic adnotare puto, nulla reperiri diplomata Henrici I. data anno 919. quo anno tamen electus iam est.

OTTO M. apud Illustriſſ. Comit. DV BV AT Orig. Boic. Dom. T. II. in App. n. 4.

data VI. Id. Jun. a. inc. dom. 911. Ind. XIII. anno autem Regni Ottonis piissimi Regis III. actum Maguncia.

OTTO III. apud GERKEN: in Cod. Dipl. Brandenb. n. 10. I. p. 31. data Kal. Mai. a. inc. dom. 991. Ind. III. regni autem III Ottonis regnantis VIII. actum Mersaburg.

HENRICVS II. apud HAEBERLIN Anal. medii aevi, in farrag. miscellan. diplom. n. 2. p. 541:

data

*data XV Kal. Octobr. Ind. XII. a dom. inc. 1014. a. Dni Heinrici secundi regnantis XIII. Imperii vero I. Aetum Halvorstedi.*

Vnum ad diplomata Henrici monebo, pleraque vitio laborare iubscriptionis, quod procul dubio ex oscitania Notariorum inuenitum est.

**CONRADVS II.** apud **FALKE** l. c. p. 527. *data III. Non. Aug. Ind. XIII. anno dn. incarn. 1031. anno autem Dni Chonradis secundi, regni VII. Imp. vero V. aet. Immedeshusum.*

**HENRICVS III.**, viuo adhuc **CONRADO II** successor declaratus, in diplomatibus præterea annos ordinationis numeravit, quod etiam **HENRICVS IIII.** et **V.** fecere, quorum tamen ultimus, imperio potito, ordinationis annos quam saepissime omisit.

Hac in epocha rarissime scribitur *datum*, fere semper *data*; nec inter ea diplomata, quae in collectionibus maxima diligentia factis ex autographis exemplis defumta reperiuntur, mihi ullum fere occurrit, in quo *datum* reperias. Vereor igitur, ne illi, qui ea diplomata, in quibus nunc *datum* legitur, descripsérunt, errauerint; id quod vel ideo facile fieri potuit, quod nonnunquam omisita litera vocali altera, ita scriptum esset: *dat*. Sæpe autem etiam hac de causa potuit irrepere *datum*, quod non ex autographo describebant diploma, sed ex chartariis eius saeculi, quo scribae *datum* pro *data* scribere soliti fuerunt.

### §. VIII.

#### *Epocha tertia.*

Tertia Epochæ incipit a **LOTHARIO SAXONE** finitque cum imperio **FRIDERICI II.** Ita

*aet. a. d. 1132 — data Mulhusen*

apud **REHTMEYER.** *Chr. Brunsvit.* p. 291. Inuersus igitur ordo est, et scribebatur nunc primo *aetum*, deinde *datum*, contra quem antea fieri solebat. Neque tamen formula ista, cuius exemplum iam **HENRICI V.** aetate apud **SCHOETT-**

B

GEN.

\* \* \*

**G E N.** Leben Wiprechis *Grafen von Groitsch*. p. 8. n. 6. reperitur, semper adhibita est a **LOTHARIO**, qui et veterem interdum admisit. In quo **LOTHARIVM** sequutus est, qui successor eius fuit **CONRADVS IIII.** Sub **FRIDERICO I.** haec formula usurpabatur: *acta sunt haec anno 1161 — dat Laude. ap. GERKEN. Fragm. March. T. II. n. 2. p. 7.* Sub **OTTO NE IIII.** illa paullulum est mutata, ut ap. **FALKE l. c. p. 225:** *acta sunt haec a. d. int. 1198. data per manum Morandi Regalis aulae Protonotar. Aquisgr. quae formula posthac persaepe occurrit in literis saeculi XIIII. ut in Dipl. OTTONIS et CONRADI Marchion. Brandenb. a. 1295. ap. GERKEN. Cod. Dipl. T. II. n. 239. p. 435. data per manum Dni Iohannis nostre curie Capellani.* Nihil aliud vero plerumque indicat, quam scriptum esse diploma ab eo, qui nominatur. Denique **FRIDERICVS II.** et filii eius **HENRICVS VII.** et **CONRADVS IIII.** hac formula, quam huic epochae attribuo, plerumque sunt vsi.

## §. X.

*Epocha quarta.*

In hac epocha, quae usque ad Imperium **LEOPOLDI** decurrat, alterutrum solum scriptum est aut *actum*, aut *datum*. Errat igitur **JOACHIM in der Einl. zur Teutschen Diplomatik. C. XIII. §. 21. p. 256:** *post Rudolphi I. tempora datum tantummodo in diplomatis ponere solitos fuisse.* Sed unum est diploma **RUDOLPHI II.** aliam et singularem subscriptionem habens, quae ad Epochae secundae formam conueniat. Editum est illud in den diplomat. Nachrichten von dem Ursprung und Stiftung des Klosters Neustadt am Main Ord. S. Bened. in Würzburger Diöces gelegen, zum Beweis der dem Kloster zustrebenden Immunitäten, Freiheiten und Vorzügen in temporalibus — an das Licht gestellt von Abten, Priori und Konuent — In Append. Document. n. 28. In den Staatsakten unter der Regierung Joseph des zweiten IIII. Kap. VII. p. 279. Est autem confirmatio fundationis et dotationis *Caroli M. et Ludouici Pii et Privilegiorum Ottonis;*

Caro-

Caradocius per Germaniam vice Cancellarius loco Wolfgangi Archi - Episcopi Moguntinensis recognoui, data 4to Idus Aprilis A.D. domin. incarn. 1611. Ind. 9na, Imperii 36. actum in arce nostra regia Pragae.

§. XI.  
Epocha quinta.

Haec incipit a LEOPOLDO, quo imperante ita subscriptae sunt literae:

quae dabantur in Ciuit. nostra Viennae. die V. Mens. Febr. a. 1691.

in SCHMAVSI Corp. Iur. Gent. T. I. n. 200. CAROLI VI. diplomata eodem modo subscripta sunt. Ut diploma quoddam anni 1731. in MOSERI Archiv des achtzehnten Jahrhunderts, n. 54. p. 505. Interdum etiam datum reperitur, ut in diplomate anni 1736. ibidem p. 744.

§. XII.

Nunc pauca de iis formulis addamus, quae in diplomatibus Principum saecularium et ecclesiasticorum, et reliquorum Nobilium Germaniae virorum obuenient. Hi primo non imitabantur stilum Curiae Imperatoria vel Regiae, sed modo aut *datum*, aut *factum*, aut *actum* sine discrimine subscribebant. Verum saeculo undecimo paullatim nonnulli stilum istum imitari coeperunt, ita ut *actum* et *datum* coniungerent. Ita subscriptis ALBERTVS Archiepiscopus Bremensis. a. 1053. apud LINDENBROG. Scriptor. Rerum Septentrion. p. 138.

data III. Kalend. Octobr. a. d. 1052. Indict. III. a. f. Gozeka. FRIDERICVS. Comes Palat. Saxon. anno 1063. in BYDERI Sammlungen. I. p. 431.

dat. XIV. Kal. Maii a. 1063. Ind. I. a. f. apud Dorloch.

Initio autem saeculi XIII. mos iste coniungendi *actum* et *datum* fere omnium communis fuit; isque duravit usque ad medium saeculum quartum. Ut in Diplom. ALBERTI Duci Saxoniae apud STAPHORST. Hist. Hamb. T. I. P. II. p. 17. legimus:

\* \* \*

*aclum et datum in Hamburch. a. 1228. Id. Maii. Ind. I.*

*Et in diplom. HENRICI Comitis de Henneberg apud GERKEN.  
Fragm. March. T. III. n. 25. p. 58.*

*datum et aclum in veteri Brandenb. Ciuit. a. dn. 1324. die domini  
ante beatae Mariae virginis purificationem.*

Saeculo XIII. mos chartas latine scribendi exolescebat, nihilominus pauca sunt diplomata medio saeculo XIIII. confecta, quae habeant eandem subscriptionem. Ut ap. GERKEN. I. c. IIII. n. 16. p. 29. charta venditionis a WERNERO et HENRICO fratribus dictis de Schulenborch facta, ita subscripta est:

*aclum et datum a. dn. 1356. in crastino b. Bricci Ep. et confessoris.*

Ac nonnunquam etiam literae germanico idiomate conscriptae modum antiquum seruabant, ut vel ex chartis apud GERKEN. in Cod. Dipl. Brandenb. editis intelligi potest.

Tom. I. n. 165. et T. II. n. 208 — vnd is gegeben vnd gescreuen —

T. I. n. 166. — bescreuen vnd geben.

n. 167. — vnd heben diesen Brief daruber gegeben — aclum a. dn. 1319.

n. 169. — diz ist geschehen vnd dirre brief ist gesrieben.

T. II. n. 212. — der beteidingt vnd geben ist —

quorum alterum datum, alterum aclum indicat. Nolim quisquam putet, nos existimare, praeter has formulas. quas recensuimus, nullas alias unquam exhibitas fuisse: illud modo indicare volumus, et quando harum formularum quaequam orta sit, et quamdiu eius usus durauerit.



CAP.

## C A P . I I .

*De significatione datae et acti in Diplomatibus  
Carolidarum, Saxonum et Francorum.*

## §. I.

**M**ABILLONIUS de *Re Dipl. L. II. c. XXVI.* §. 10. primus inter *a&ltum* et *datum*, si in uno eodemque diplomate occur-  
rant, esse differentiam notauit. *A&ltum* significat eius sententia  
aut *tempus rei transactae aut confessi instrumenti*; *datum* aut *confessi* aut *concessi et redditii ei*, qui imperasset. Eum secuti sunt ad  
vnum prope omnes, qui de re diplomatica scripsere, v. c.  
**GOTTFRIED BESEL**, auctor *Chronik Gottwicensis L. II. C. I.*  
§. XXXIII. p. 136. **IO. NIC. HERTIVS** de fide diplomaticum  
*German. Imperat. et Regum.* §. 15. ap. **BARINGIVM** in *Clave Diplomat.* p. 348. et praecipue **IO. PETR. DE LVDWIG**,  
qui quibus virutur exemplis, infra considerabimus. At **HEV-  
MANNVS** in *Comm. de re dipl. c. I. §. 41.* p. 24. primus MABIL-  
LONII sententiam dereliquit. Audiamus verba ipsius:

*At nostro quidem iudicio, inquit, satius est, datum et a&ltum  
ad idem tempus ad eundemque locum referri, nisi diversi dies  
adieci sunt, cuiusmodi exemplum expromit MABELON L. II.  
C. 26. §. 10. Quapropter hoc remedium distinctionis dati et  
acti chartis sanandis cautius adhibendum videtur.*

Ipse variis diversis argumentis commotus, nunc hanc, nunc illam  
opinionem veram esse iudicauit: sed ad postremum visus mihi sum  
intelligere, inter *a&ltum* et *datum* nullam et ne minimam quidem  
differentiam interesse. Non equidem nego, quoad verborum si-  
gnificationem diversa esse *a&ltum* et *datum*. Nam agere aliud signi-  
ficare ac *dare*, quis ignorat? Sed hoc non ausim ego defendere,  
in diplomaticis Imperatorum sic differre *a&ltum* et *datum*, quasi  
aliquid spatium temporis inter utrumque intercedat. Argumen-  
ta, quibus moueor, non sunt leuis et inania, quae nunc viris  
eruditis, quos huius dissertationis aequos iudices habere cupio,  
breuiter exponam.

*Argumentum primum.*

*Si datum et aliud diuersa tempora distinguant, necessario debent in tanta multitudine diplomatum saltē duo triaue reperiri, quae vno eodemque die data, in locis autem diuersis peracta sint. Nam persaepe contingere debuit, ut res plures diuersis locis et diebus peractae, alio deinde loco et die simul omnes in scriptum redigentur. Atqui nondum illa talia diplomata reperi. Nam illa duo diplomata OTTONIS III., quorum alterum apud MABILLONIVM est, alterum ap. GERKENIVM, quae communem diem et annum; diuersa autem loca habent, an aliquid probare aduersus me possint, deinceps videbimus. Evidem centum et plura possim commemorare diplomata, quae vno eodemque die data sint, vnumque communem locum indicent, vbi res acta. Sed paucis exemplis idem poterit fatis demonstrari:*

- a) duo diplomata OTTONIS I. dat. VIII. Kal. Maii a. d. 940. ab<sup>t</sup>. in Magdeburg.  
alterum ap. MEIBOM. Script. Rer. Germ. T. I. p. 742.  
alterum ap. LEVKFELD in Ant. Halberst. p. 640.
- b) duo eiusdem Regis d. IIII. Kal. Ian. a. d. 945. ab<sup>t</sup>. in Dala-  
hem.  
alterum ap. SCHATEN, Ann. Paderb. P. I. p. 188.  
alterum in HONTHEMII Hist. Treuir. P. I. n. 160.  
Ad quae tertium die sequenti III. Kal. Ian. datum. ab<sup>t</sup>. in  
Dalahem accedit. ap. FALKE, Trad. Corb. P. III.  
p. 357.
- c) duo OTTONIS II. dat. VIII. Kal. Aug. a. d. 973. ab<sup>t</sup>.  
Aquis.  
alterum in Lürigii Spicil. Eccl. I. Th. Fortsez. p. 320.  
alterum in Herrgotti. Orig. Habsp. T. II. p. 86.
- d) duo OTTONIS III. dat. Non. Febr. a. d. 985. ab<sup>t</sup>. Mu-  
linhusen.  
alterum apud LEVKFELD in Antiqu. Walkuf. p. 346.  
alterum in KETTNERI Antiqu. Quedlinburg. p. 26.
- e) duo

e) duo HENRICI II. dat. XI. Kal. Noubr. a. d. 1007. abf.  
Frankfurt.

in LUDWIGII Script. Rer. Bamb. p. 1112. et 1281.

f) duo CONRADI II. dat. II. Kal. Aug. a. d. 1025. abf. Tri-  
buriae.

apud HEDAM de Ep. Vltrag. p. 113. sq.

g) duo HENRICI III. dat. Non. Iun. a. d. 1040. abf. Stabulan.  
alterum in MARTENE Vet. Mon. T. II. p. 59.  
alterum in MIRAEI Opp. Dipl. T. I. p. 660.

h) duo HENRICI III. dat. VIII. Kal. Nubr. a. d. 1062.  
abf. Ratisponae.

in STAPHORST Hist. Eccl. Hamb. P. I. p. 420. sq.

i) duo HENRICI V. dat. VII. Kal. April. a. d. 1111. abf.  
Goslariae.  
alterum apud HVNDIVM in Metr. Salisb. T. I. p. 173.  
alterum ap. GEWOLDVM ad Hund. Metr. S. T. III. p. 65.

Nec tantum bina uno die exhibita diplomata reperiuntur, sed etiam plura. Vt:

a) tria OTTONIS II. dat. II. Kal. Aug. a. d. 976. abf. Ra-  
tisponae.

quorum duo apud HVND. l. c. T. I. p. 238. sq. tertium  
ap. GEWOLDVM l. c. T. II. p. 407.

b) quatuor HENRICI II. dat. XVIII. Kal. Febr. a. d. 1023.  
abf. Paderb.

in SCHATEN. Annal. Paderb. P. I. p. 451 - 454.

c) quatuor HENRICI III. dat. III. Non. Sptbr. a. d. 1039. abf.  
Goslar.

vnum ap. HARENBERG in Hist. Gandersh. p. 672. tria  
ap. SCHATEN. l. c. P. I. p. 516. sq.

### §. III.

Satis haec ostendunt et extra controversiam ponunt exempla  
omnia diplomata uno eodemque die et loco confecta esse. Inde  
adparet, nunquam diei spatum inter auctum et datum intercedere.

Sed

Sed videntur contrariorum arguere illa duo, quae dixi, OTTONIS III diplomata: quorum alterum legitur ap. MABILLONIVM de Re Diplom. L. VI. p. 577. quo diplomate OTTO III confirmat omnes possessiones Coenobii S. Felicis, quod nunc est S. Clementis Ordin. S. Benedicti, apud Mettas. Id subscriptum est ita:

*Robertus Episc. ad vicem Heriberti Archi-Episcopi recognoui.  
anno incarnationis dominicae. 991. Imp. vero Domini IIII Ott  
onis XIII. Ind. IIII actum Kalend. Maii publice in palatio  
Neriften.*

Alterum est ap. GERKEN in Cod. Dipl. Brand. T. I. p. 29. et in SAGITTARII Hist. Ducat. Magdeburg L. II. c. VII. §. 6. in BOYSE'S histor. Magazine I. St. p. 217. quo diplomate OTTO III. Archi-Episcopo Magdeburgensi tertiam partem tenuit per Bohemiam donat. Subscriptio haec est:

*Hildibaldus Episcopus et Cancellarius vice Willigis Archicapellani recognoui.*

*data. Kl. Mai. Anno dominice incarnationis DCCCC. XC. I.  
Indictione IV. Anno autem tertii Ottonis regnantis oclau  
uo Actum Mersburg feliciter amen;*

En, dies annique idem, loca autem diuersa. Sed sciendum est, subscriptionem diplomatis a MABILLONIO editi, esse falsam. Nos plurimis et certissimis argumentis hanc subscriptionis falsitatem possimus demonstrare. Ante omnia MABILLONIVM ipsum, de subscriptione huius diplomatis quedam breuiter admonentem, audiamus:

*In hoc autographo, inquit p. 578, notandum est primo, sub  
scriptionem Cancellariae e regione subscriptionis Imperatoris po  
sitam, alio atramento conscriptam esse, quam contextum, ut et  
datam. Secundo numerum arithmeticum I. in longum esse por  
rectum, tertio sigillum esse appensum —*

Non dico, totum diploma falsum aut suspiciosum esse: nec enim ipse MABILLONIUS a quo id inspectum est, et quem omnia et singula eius criteria diligenter expendisse certum habeo, fidem ei denegavit. Sed nego diploma subscriptum esse anno 991:

nam

nam id aliquot annis post factum esse videor his argumentis posse  
euincere:

I. *Annus Domini 991. non est annus XIII. Regni Ottonis, sed  
octauus.*

MORTUO OTTONE II. d. VII. Decbr. a. 983. iam die XXV. De-  
cembr. eiusdem anni consecratus est filius eius OTTO III.  
Annus igitur 991. est annus regnantis illius octauus, non decimus  
quartus. Atque ita etiam in *diplomate Gerkeniano* recte numeratur.  
Nec in caeteris diplomaticis eiusdem anni, quorum mentio fit  
in *GEORGISCH Regest. Dipl.* ad a. 991. alias numerus re-  
peritur.

II. *Anno Domini 991. nondum Imperator consecratus erat Otto:  
id quod facitum est demum a. 996.*

Igitur non potest hoc diploma esse anni 991. Ego certe non-  
dum OTTONIS III. diploma ullum vidi anno 996. superius, ubi  
titulo *Imperatoris* usus esset.

III. *Subscriptio Archicancellarii non potest ad annum 991. perti-  
nere.*

Est enim haec: *Rotbertus Cancellarius ad vicem Heriberti Archiepi-  
scopi recognoui. Regnante OTTONE III. WILLIGISVS Archicella-  
rius fuit, eoque officio, quo iam patre illius regnante fungi coepit,  
initio regni HENRICI II. adhuc funditus est. At HERIBERTVS nondum  
anno 991 Archiepiscopus Colonensis fuit, quippe ad eam dignitatem  
euectus demum anno 997. teste SIGEBERTO GEMBLACENSI  
ad annum 997 in PISTORII Scriptor. Rer. Germ. T. I. p. 824.  
edit. STRVII. Immo Auctor Chron. Reg. S. Pantalonis apud  
ECCARD. Corp. Hist. med. aevi. T. I. p. 897. euectionem illius  
in Cathedram Colonensem refert ad annum 1000. In hac igitur  
subscriptione maximus latet error, agnitus etiam a BESELIO  
in Chron. Gottwic. L. II. T. II. C. V. §. 16. p. 227. Sed BESS-  
ELIVS ut diploma serueret, liberam sibi coniectrarum ratus, existi-  
mari posse ait,*

*Heribertum ab Hildibaldo Wormatiensi Episcopo, tunc temporis  
Cancellario, Ottoni III. quod scriptores veteres referunt, re-*

\* \* \*

commendatum ab eodem in aulam assūtum, ab Ottone III.  
in dilectis habitum, in absentia Hildibaldi obiūste munus Cancellarii,  
Rotbertumque hunc fuisse non alium ac notarium, qui  
non insolito eorum styllo, in Cancellarii ordinari et Archicapellani  
absentia, et suum et Heriberti nomen diplomati apposuit:  
alias dicendum foret, plane vitiosam esse diplomatis huiusc  
subscriptionem, praesertim cum Mabillonius in annotatione,  
diplomati memorato adiecta, inter caetera referat, subscriptio-  
nem cancellarii e regione subscriptionis Imperatoris posita-  
nam atramento conscriptam esse, quam contextum, vii et da-  
tam. Rel.

Quam coniecluram valde improbabilem, necesse non est adhibere: patet melior via diplomatis vindicandi, si annus subscriptio-  
nis corrigatur: quam viam denique iuit BESELIVS. Nec  
mihi praeter hoc diploma ullum aliud iisdem temporibus exhibi-  
tum occurrit, in quo aut ROTBERTVS aut HERIBERTVS  
subscripsit; verum omnia subscripta sunt vice WILLIGISI,  
vti hoc ipsum quoque apud GERKENIVM.

*III. Ante annum 996. non reperitur in vlo diplamate Otto-  
ni, signum Ipsius ita adnotatum: signum Domini inuictissimi  
Caefaris:*

Nam caetera diplomata, in quibus titulo CAESARIS INVICTIS-  
SIMI vsus est, omnia iuniora sunt anno 996, quippe quo anno  
demnm est imperium adeptus. Ita in diplamate, quod BE-  
SEL. L. II. C. V. p. 208. zeneae tabulae incisum exhibit, legi-  
tur: Signum Domini Ottonis Inuictissimi Imperator. Aug. At  
hoc diploma est anno 997 confeclum. Caeterum de titulo Caefar-  
is ab eo usurpato vid. BESEL l. c. §. 15. p. 219. Antequam  
Otto Imperator consecratus est, alio modo subscriptit. Ut a.  
992 Signum Dni Otton. gloriissimi Regis. ap. SAGITTAR.  
Hist. Duc. Magd. l. c. p. 223.

*V. Subscriptio Cancellarii e regione subscriptionis Imperatoris  
posta est.*

Haec

Haec res non partem quampiam subscriptionis falsam esse arguit, sed ipsam totam subscriptionem fere euerit. Si nihil aliud quidem, nisi hoc, contra diploma monendum sit, possit profectio admitti, cum etiam in Diplomate OTTONIS I. a. 957. ap. GERKEN. Cod. Dipl. I. n. 8. p. 23. subscriptio Cancellarii ex aduerso posita sit subscriptioni regiae, sed res cum aliis valde suspectis coniuncta multum facit contra subscriptionis fidem. Cetera OTTONVM diplomata, vt de his tantum dicam, Cancellarii subscriptionem subscriptioni regiae non ex aduerso positam habent, sed subiectam. Exempla tabulis aeneis incisa paucim videri possunt apud BESELIVM J. C. FALKIVM, MABILONIVM, et apud BENEDICTINOS dans le nouveau *Traité Diplomatique*. Est autem in hoc diplomate subscriptio Cancellarii alio atramento facta, quam diploma ipsum. Ex quo colligi poterit, inquit BESELIVS pergens eodem loco, quem iam laudauit, a recentiori manu, vel non eadem saltē, tempore dati diplomatis adiectam esse hanc Cancellarii subscriptionem: et hinc spolium facile irrepere potuisse, cum aliquot annis post concessum diploma, Heribertus, maximae apud Ottонem auctoritatis, ornatusque dignitate Archiepiscopali extiterit. Vnde nec mirandum est, quare in datam alio quoque atramento quam contextus scriptam error irrepserit chronologicus, vt pro anno Regni Ottoniani octauo annus Imperii XIV. fierit collocatus. — Sed credent hac de re homines eruditii, quod ipsis maxime probabile visum erit. Mea opinio est, subscriptionem ab inscrii hominis manu, seu alieno iussu, seu ipsis voluntate, esse adiectam et rem eam tot errorum causam fuisse.

*VI. Sigillum est appensum.*

Atqui mos illa adpendendi circiter saeculo XII. ortus est, vt HEINECCIVS de *Sigill. P. I. c. 16. §. 4.* conicicit: OTTONVM autem tempore non adpendebantur, sed imprimebantur, et quidem ad latus subscriptionis Regis et Cancellarii.

*VII. Tota subscriptio contra morem saeculi est.*



Possis tamen fortasse illam defendere hoc argumento, quod etiam aliae reperiuntur similes. Ut a. Dn. 773. Ind. XI. anno Caroli quinto. aet. Romae — ap. SCHILTER ad Koenigsh. Chron. p. 495. et CONRADI II. apud VGHELL. Ital. S. T. II. p. 165. a. dn. 1029. Ind. XII. anno Conr. II. Imp. regnantis VI. Imperantis III. aet. II. Id. Iunii Strasburg. Sed huiusmodi subscriptiones parvo fane numero reperiuntur, nec vñquam ratio deest, qua suspiciose fiant.

*VIII. Anno 991. Otto non fuit Nerensteini.*

Verum hoc argumento nondum vri licet, priusquam probauerio, acutum et datum non significare duo diuersa tempora.

#### §. III.

Dedimus igitur illud satis euictum, quod volebamus, hoc MABILLONII diploma non ad annum 991, sed ad posteriorem aliquem esse referendum. Forsitan alicui tota subscriptio falsa, et ob eam rem totius diplomatis fides in dubium reuocanda esse videatur. Sed nos quidem confirmandae sententiae nostrae causa necesse non habemus negare, diploma verum et genuinum esse. Nam satis est, nos docuisse, alio tempore illud confectum esse oportere. Videtur autem nobis eius subscriptio cadere in annum 997. Etenim

*I. Annus 997. est XIV. regiminis, non imperii, Ottonis; quanquam diploma annum XIII. Imperii nominat. Omnia diplomata caetera OTTONIS III. annum regiminis et Imperii bene distinguant.*

*II. Eo anno iam Otto III. nomine Imperatoris vtebatur. Non opus est probatione.*

*III. Subscriptio Archicancellarii, qui eodem anno factus est Archiepiscopus, locum habere potuit. Si enim Sigeberto Gembalensis fides habenda est.*

*III. Hoc anno signum Domini inuictissimi Caesaris potuit adhiberi.*

V.

V. Eodem anno Imperator in vicinia Nerensteini fuit; uti ex aliis eiusdem anni diplomatis videre licet. *Nerifflen* enim sive *Neristein*, teste BESELIO, *Chr. Gottw. L. III. c. II. n. LXXXVIII.* p. 495. sita erat in ripa Rheni fluminis in pago Wormatiensi prope Oppenheim. In Diplomate Ottonis III. anni 994. ap. GVDENVM Cod. Dipl. Mog. T. I. n. CXXXIII. p. 367. quo curtem Nerifflen sedi Moguntinae restituit, sita esse dicitur in pago Wormatiensi ei in comitatu Burchardi Comitis. At Imperator V. Id. April. Aquisgrani fuit, quod patet ex diplom: ap. MIRAEVM in Opp. Dipl. T. I. p. 657. et XV. Kal. Iun. Nouiomagi in SCHATEN. Annal. Paderb. P. I. p. 343.

Verum enimvero, si haec nostra opinio vera est, diploma confessum esse a. 997. incidimus in aliam nouam difficultatem. Nam aliud diploma est apud MVRATOR. in Antiqu. Ital. T. I. p. 567. cuius diplomatis haec est subscriptio:

dat. Kal. Mai. a. d. 997. Ottonis regn. XV. Imperant, vero  
II. Ind. V. a. Romae.

Ergo nunc duo habemus diplomata, vtrumque anno 997. datum Kalend. Maii; actum diversis locis. At ego diploma Muratoria-  
num pertinere aio ad a. 998. his motus argumentis:

a) Nominatur annus XV. regiminis et annus II. Imp. Ottonis,  
qui est annus a Christo nato 998.

b) Res acta est Romae, vbi anno 997. actam nullam aliam re-  
perias; fine autem Aprilis et medio aeuo anni 998. alia diplomata  
docent nos, OTTONEM Romae fuisse. Ut: dat. III. Kal.  
Maj. — act. Romae. in DVELL. Mistell. T. II. p. 379. —  
dat. VIII. Kal. Iun. — act. Romae in palatio. in GATTO-  
LAE Access. Hist. Cassin. P. I. p. 91. cum quibus etiam Sigeber-  
tus Gemblacensis in PISTOR. Scr. Rer. Germ. I. p. 270. conuenit.  
excepto eo, quod more suo, Imperatorem sequenti anno 999  
Italiam petiisse, refert.

Atque hoc primum argumentum erat sententiae nostrae,  
actum et datum non esse de diversis temporibus accipienda.

Nunc reliqua' argumenta addamus, quae istam sententiam magis etiam confirmant.

## §. V.

## Argumentum Secundum.

*Si datum et actum de diuersis temporibus accipienda sunt: dehent afferri posse diplomata, quorum datum non multis diebus differat, sed quae longe distantibus locis sint acta.* — Nam id profecto accidere debuit, si actum praecessit datum. Et ex talibus diplomatis necessario colligendum foret, quia Imperator non potuit in breui temporis spatio esse in duobus longe distantibus regionibus. Sed nulla talia diplomata puto afferri posse, quorum quidem subscriptio adeo vera et certa sit, ut ad recte probandum valeat. Age inspiciamus nonnulla diplomata, quorum datum bidui aut plurium dierum spatio differt, et in quibus actum diuersis et longe distantibus locis adnotatum est:

I) Sunt duo diplomata, alterum in MEIBOMII Script. R. Germ. T. II. p. 374. dat. II. Non, Iun. a. d. 973. Ind. XIII. a. Imp. Ottonis secundi VII. act. Magdeburg. alterum in PEZII Thes. Anecd. T. I. P. III. p. 59. cuius subscriptio haec. est: dat non Iun. a. d. 973. regni II. Ottonis XXV. autem XV. Ind. XI. act. Veronae. Hic inter primi et alterius diplomatis datum interfuit unus tantum solidus dies: at Magdeburgum et Verona, quibus locis res acta est, non tam paruo inter se interuallo distant, ut vel celerrimus eques id iter bidui spatio possit confidere. At ego subscriptionem diplomatis Peziani falsam esse, possum ostendere. Nam

a) annus 973. non fuit nec XXV. regni; non enim tot annos regnauit; nec XV. Imperii.

b) anno 973. numerabatur Indiction prima; non undecima. Pertinet igitur hoc diploma potius ad annum 983. Nam

a) in eum annum simul cadit et annus Imperatoris XV et Indicio XI.

b) Eo

b) *Eo anno Imperator in Italia fuit, ut adparet ex alio diplomate apud VGHELL. in Ital. S. T. V. d. 400. dat. V. Non. Jun. a. d. 983. adi. Veronae.*

c) Item aliud est apud GEWOLD. ad Hund. T. II. p. 259. et PEZ. l. c. p. 61. cum eadem subscriptione nisi quod alias annus et recte an. 983. positus est. Res mira, neque hec loco prae-tereunda est, quod cum annus Christi 983 idemque Imperii Ottonis XV, non sit XXV. regiminis eiusdem, tamen omnia diplo-mata Ottonis anno illo data regiminis annum XXV numerant, ex-ceptis duobus apud VGHELL. T. V. p. 400 et 746., quae maiori etiam errore annum XXVI habent. In paucis aliis computatio-annorum Ottonis vniuersa deest.

II. Alia duo diplomata sunt intra triduum data, et longissime distantibus locis acta. Quorum alterum est ap. HERRGOTT. in Orig. Habs. T. II. p. 93: dat. VIII. Id. Febr. a. d. 997. Ind. XI, anno tertii Otton. R. XV. Imp. II. act. Raueniae. alterum extat in PVRICELLI Monim. Ambros. in Thes. Ital. p. 143. T. III:

act. VI. Id. Febr. Aquisgrani. a. Tertii Ottonis Aug. Imp. I.  
Ind. X. (a. 997.)

Sed neque hoc exemplum quidquam euincit. Prioris enim di-  
plomatici subscriptio habet Indictionem XI. et annum regiminis  
XV. Atqui utrumque horum in annum sequentem incidit, quo  
anno etiam Imperator in Italia fuit. Omittimus commemorare  
plura diplomata, specie quidem contraria illae sententias nostras,  
sed reuera in subscriptione vitio laborantia.

#### §. VI.

#### *Argumentum Tertium.*

Tempora et loca datorum diplomatum semper eadem sunt, quae  
commorationum Imperatoris cuiusque a scriptoribus aequalibus indi-  
cantur. Atqui si actum et datum non idem tempus notauit, de-  
buit saepius contingere, ut Imperatore in Italia versante, nego-  
tium aetum, et longo tempore post, illo serius in Germaniam re-  
uerso, diploma demum exhibutum sit. Hoc autem nunquam fa-  
ctum

etum esse, illud argumento est, quod eodem tempore, quo Imperatorem hic vel illic fuisse, scriptorum indicio nouimus, ibidem etiam diplomata sunt data. LUDWIGIVS quidem videtur putare; id interdum accidisse: negat enim diploma illud famosum Osnabrugense ideo posse vituperari, quod Imperator, quo tempore diploma datum est, Aquisgrani non fuerit. Sed audiamus CAROLVM LE COINTE in Annal. Ecclesiast. Francor. T. VI. ad a. 803. §. 72. p. 821. qui ideo in primis diploma istud falsum esse iudicat, quod, quo die datum sit diploma, Imperator Aquisgrani immoratus non sit, cum Annalista Loiselianus memoret: Carolum obuium Leoni Papae in Remorum ciuitatem profectum; ibi suscepisse Papam, et cum eo primum in villam quandam nomine Carisatum, ubi Natalam Domini celebrassent, deinde Aquisgranum peruenisse: Hoc nifus testimonio sic disputat LE COINTE:

*Non opus est probatione: quis enim intra quatriduum, quod a die vicefimo Decembris ad Natales Domini superest, Carolum credat, Aquisgrano Remos, ut ibi Leonem Papam ex Italia venientem suscipere, ac Remis Carisacum iuisse cum eodem Pontifice, ut simul apud Carisacum natalitia Domini celebarent? —*

Nihil tamen hoc obesse diplomati Osnabrugensi credit IO. PET. DE LUDWIG in Comment. ad Aur. Bullam. T. II. p. 1403. et in Praefat. ad Reliqu. med. aevi p. 43. §. XVIII. Neque alio argumento probat, atque diu praecedere datum, nisi quod ait, se decem fere diplomata Ottonis M. in archivo Magdeburgensi repexisse, quae Magdeburgi atque esse negotium dicerent, quo tempore Imperator in Italia fuisset. Vellem horum diplomatum exempla nobiscum communicasset.

### §. VIII.

Aliud exemplum in promptu habemus, quod quidem specie, sed non reuera nostram argumentationem infringere videtur. HENRICUM II. anno 1021 in Germania fuisse, testantur Sigibertus Gemblacensis ad h. a. in PISTOR. Script. T. I. p. 829. et diplomata ea anno data. Eundem autem exeunte illo anno in Italianam fe-

con-

contulisse, atque ibi usque ad finem fere sequentis anni commoratum esse, non modo diplomata loquuntur, quae per id tempus in Italia dedit, sed etiam testis est HERRMANN. CONTR. ib. p. 273. Henricus Imperator, inquit, in Italiam expeditionem mouit, et ad ann. 1022. p. 274 Henricus Imperator Campaniam petens, Beneuentum intravit, Troiam oppugnauit et cepit. Neapolim, Capuam, Salernum, aliasque eo locorum ciuitates, in deditionem accepit, et Nordmannis quibusdam, qui tempore eius illo confluxerant, quoddam (ut ferunt) in illis partibus territorium concessit, sive ipse per Romanum viator redit in Germaniam. — At ex tribus Henrici diplomatis post eius in Germaniam redditum intra mensem datis, videmus primum quidem ac tertium in Germania, secundum autem in Italia subscriptum esse.

Primum eorum legitur in *Aet. Sanctor. T. III. Iunii p. 79.*

datum V. Id. Decbr. Ind. V. a 1022. aet. Gronaha.

Alterum apud *VGHELL. Ital. S. T. II. p. 493.*

datum a. d. 1022. Ind. X. — ab utro pridie Kal. Ianuar. Ravennae.

Tertium in *GATTOLAE Access. Hist. Caffin. P. I. p. 120.*

datum II. Non. Ianuar. a. d. 1023. aet. Paderbrunnon.

Quis vero credat *HENRICVM* vix reuersum ex Italia subito eam repetuisse, quodque incredibilis est, rursus inde statim ea celeritate redisse, ut *Rauenna* *Paderbrunnam* quatriduo peruererit? Sed nempe alterum istud diploma *Vghellianum* referri debet ad annum 1021, quo anno exeunte Imperator in Italiam abiit. Neque obstat, quo minus id diploma ad annum istum 1021 pertinere dicamus, quod *Sigebertus Gemblacensis ad a. 1021. l. c. p. 829.* Regem narrat, *Coloniae celebraſſe natalem diem Domini.* Nam Sigeberti temporibus initium anni adhuc a Seruatoris nativitate computabatur. Itaque nostra computatione factum est non anno 1021, sed 1020. Eodem modo intelligi debet diploma *CORNADI II.* apud *MVRATOR. Aut. Ital. T. I. p. 347.* ita subscriptum:

D

dat.

*dat. IV. Kal. Ian. a. dom. 1038. Ind. VI. anno autem Conradi, regni XIV, Imperii XI. Aet. Parmae.* Cum annus 1038 nec fuerit Conradi regnantis XIV, sed XV; neque imperantis XI; sed XII; annus 1037 nobis intelligendus est. Quod et probatur ex loco Herrmanni Contr. ad. annum 1038. imperatorem Parmae celebrasse festum nativitatis Christi, et exinde, quod Ind. VI cadat in festum Nativi Christi 1037.

### §. VIII.

#### Argumentum quartum.

*Si aetum est prius tempore, quam datum, et si porro illud verum est, quod quidam volunt, Imperatoris praesentiam tum, cum instrumentum dabatur, necessariam non fuisse: neesse est inueniri diplomata, mortuo iam Imperatore data.* Nam fieri potuit, ut negotio iam peracto, diplomate autem nondum dato, Imperator e vita discederet. Et sane habemus talia exempla: sed referat, ea paullo adecuratus examinare.

I. *Conradum obiisse die XXIII. Decbr. a. d. 918. testantur scriptores, ut HEPIDAN. ad. a 918. ap. GOLDAST. in Script. Rer. Germ. Ed. SENKENBERG. T. I. et DITMARVS Merseburgensis Lib. I. in LEIBNITZII Script. T. I. p. 325.* — at habemus diploma eius apud de FALKENSTEIN Cod. Dipl. Ant. Nordg. p. 20. quod ita datum est.

*dat. et aet. Forcheimb. V. Id. Septbr. a. dom. inc. 919. Ind. VI. regni nostri a. VII.*

Nolo subscriptionem ideo reprehendere, quod in ea praeter modum saeculi coniunctum legitur aetum et datum, cum sciam FALKENSTEINIVM omnia prope diplomata ita mutilasse: sed hoc dico, annum esse falsum, et oportere substitui annum praecedentem 918. Nam et numerabatur eo anno Indictio VI.

H. OTTO M. diem supremum obiit VII. Maii anni 973: at habemus diploma eius nomine subscriptum d. XV Mai. anni 974. Ind. II. ap. HONTHEIM. Hist. Treuir. P. I. n. 186, quo id ex MIR. Opp. Dipl. Tit. I. p. 655. de promtum est. Eo dipl-

diplomate Imperator Monachos Ordin. S. Bened. in Abbat. Epternacens. restituit. Sed falsum esse datum istud, nemo petitorum negabit: ut adeo nihil opus sit in eo refellendo vel minimum immorari, praesertim cum, ab ipso HONTHEMIO p. 308. litt. d. iam in corrigendo dato periculum factum esse sciamus.

III. OTTO II. obiit die VII Decembr. anni 983. Diploma vero extat, quod MIRAEVS ex Hist. Leodiensi P. Fisen. in Opp. Dipl. T. II. p. 807. edidit, et ad ann. 984. retulit, sed caret omni subscriptione. Male igitur a MIRAE O ad ann. referatur, quo iam mortuus erat Imperator. Hic autem nullo modo facere possum, quin FALKIVM reprehendam, qui ad diploma LVDOVICI XII, quod ex archetypo in Tradit. Corbei. p. 290 edidit, quo Imperator Gerulfo fidihi suo bona in Frisia olim possessa restituit, et cuius subscriptio est: data VIII. Id. Iul. a. Chr. propitio XXVI Imperii Hludowici serenissimi Imperatoris, Indictione secunda. Adiun Cruciinaco palatio regio; magna cum confidentia hoc adnotat; ex isto diplomate corrigi posse Annales Fuldenses in Freheri Script. Rer. Germ. T. I. p. 24. in quibus referatur Ludouicum Imperatorem mortuum esse anno 840 XII Kal. Jul. seu die XX. Junii. Sed melius fuisset, si suam scientiam continuisset. Diploma enim, quod ad annum 840 ab eo refertur, ad annum praecedentem pertinere, ex chronologia diplomatis intelligitur. Annus enim XXVI. Imperii Ludouici incepit fine Ianuarii 839, in quem etiam Indictione secunda cadit. Idem diploma, de quo loquimur, iam a SCHATENIO in Annal. Paderbr. P. I. p. 118. editum est, quod si FALKIVS ignorasset, profecto non errasset. Eum vero illud sciuisse, quamquam nihil de Schaten. refert, ideo intelligitur, quia hic idem fere adnotauit ad diploma citatum, quod tamen non erronee, ut FALKIVS ad ann. 940, sed recte ad ann. 939. refert: ex hoc Ludouici diplomate, inquit, satis aestimes, non hoc anno, quod quidam volunt, obiisse Imperatorem, quippe qui mense Julio adhuc superflue subscrivit. Velim autem ipse tacuisse Schatenius. Nam superfluum erat hoc adnotare, quippe nulli scriptores fide digni mortem Imperatoris ad ann. 939. referunt praeter Annales

*Metenses, qui tamen ex Reginone, Nithardo, Anna, Bertiniani  
alii corrigi possunt. Haec vero SCHATENII verba non satis  
et perspicue intellexit FALKIVS. Maximum igitur commisit er-  
rorem, gloriatus praeterea de magnis erroribus, quos in aliis  
scriptoribus detegrit.*

## §. X.

Hoc argumento sum usus refellendi LVDEWIGII et IOA-  
CHIMI causa, quorum ille in *Comment. ad Aur. Bull. T. II. p.  
1403*, hic in der Einleitung zur Teutschen Diplomatik C. XIII.  
§. 22. p. 257. negat, oportuisse Imperatorem praesentem esse, quo  
tempore instrumentum dabatur. Sed cum demonstrare possum,  
necessariam omnino ad instrumenti confessionem Imperatoris praes-  
sentiam fuisse: totum corruit argumentum, quod aduersus illam  
nostram sententiam duci possit ex diplomatis post Imperatoris  
obitum subscriptis. Nam diplomatico scripto et monogrammate  
adposito, necesse erat, ab ipso Imperatore lineolam illam pingi,  
qua unumquodque Monogramma insigniri solebat. Interdum et-  
iam Imperator ipse subscribebat. Cum igitur Imperatoris praes-  
entia necessaria fuerit, intelligitur, fieri non posse, ut diplomata  
mortuo Imperatore data sint. Quaecunque igitur diplomata diem  
vel annum prae se ferunt, quem antequerenter mors Imperatoris, ea  
diplomata suspicionem habent aut fraudis, ut sint reliienda, aut  
vitii, quod est emendandum.

## §. XI.

His igitur argumentis opinor satis demonstrauimus, nullum  
intercedere inter actum et datum discriminem temporis, licet diffe-  
rent significacione. Cum enim nulla diplomata sint, quae qui-  
dem suspicione careant, neque in quibus dies communis, loca  
diuersa reperiantur; neque, quae alio loco data sint: quam eo,  
vbi tum Imperatorem fuisse referunt scriptores; sequitur datum  
et actum non de diuersis temporibus nos interpretari posse. Da-  
tum ergo scriptum est, ut de tempore, quando; et actum, ve  
de loco, quo confecta esset tabula, et quo Imperator tunc vel  
Rex

Rex fuisset, cum sedes vagas illis temporibus habebant, constaret; qua cum sententia *Auctores Noui System. Dipl.* (*Nouv. Tr. Diplomatique*) conuenire videntur, qui T. V. p. 685. dicunt: *le premier (actum) marque le lieu et le second (datum) le temps.* et p. 686. *le datum se rapporte aux notes chronologiques, et l'actum, où a été dressé.*

§. XII.

Triplex est, eaque maxima, quam haec demonstratio nostra parit, utilitas. Nam poterimus et vitas Imperatorum conscribere ordine chronologico, et diplomata ea, quorum subscriptio aut die, aut loco carent, facili opera explicare, et talia a veris discernere. Prioris generis exemplum iam dedit FALK in *Tradit. Corbuens. P. I.* p. 22, quo diplomatum ope ostendit, quando inde ab anno 957. usque ad annum 956. OTTO I. Werlae fuerit. Alterius generis, hoc est interpretandae subscriptionis diplomatum, ubi aut annus, aut dies, aut locus deest, aliquot brevia hoc loco proponemus.

1) *Diploma CAROLI CALVI apud DV BOIS hist. eccl. Paris. T. I. p. 460. hac subscriptione:*

*dat. pridie Id. Id. Jul. Ind. III. anno XXII. R. Caroli act. Palatio Compendio (sine anno)*

Hic annus XXII. Regni Caroli iudicio nostro incidit in annum Christi 870, quo Indictione III. numeratur. Nitimur praeterea BALVZII sententia, qui idem diploma in *Capitul. Reg. Franc. T. II. p. 149.* ad hunc annum referit.

3) *Diploma OTTONIS II. ap. KETTNER. antiqu. Quedlinb. p. 23.*

*actum Quintilingenburg a 974. Ind. II. a. regni XIII. Imp. VII.* Potest aut ad initium mensis Aprilis, aut ad medium mensem Maium referri, quo tempore Imperatorem Quedlinburgi fuisse, ex aliis diplomaticis constat.

3) *Diploma OTTONIS I. est apud MIR. Opp. Dipl. T. II. p. 938:*

\* \* \*

*dat. II. Kal. Maii, a. 947. Ind. VI.*

Deest hic loci nomen. At aliud est apud **LVNIG.** *Spic. Eccl. T. III.* von Aebtiss. p. 300. vbi subscriptio loci mentionem facit, abb. *Aquisgrani.* Ergo ex hoc diplomate loci nomen in illud transferatur.

4) Idem faciendum est in diplomate quodam **HENRICI III.** ap. **HERRGOTT** *Orig. Habs. T. II.* p. 118. quod loci nomine caret:

*dat. V. Kal. Maii a. d. 1047. regnantis quidem VIII. secundi Imperantis I. Act. M -*

Hunc vero locum Mantuam esse, ex alio diplomate ap. **VGHELL.** *Ital. S. T. II.* p. 533. ita subscripto.

*dat. V. Kal. Maii a. d. 1047. Ind. XV. a. autem Henrici III. ordinationis eius XVIII. regnantis VIII. secundi Imperantis I. Act. Mantua.*

facillime intelligi potest.

5) **LEVKFELDV** edidit in *Antiqu. Walhusan.* p. 336. et 338. duo diplomata **OTTONIS II.** quae inuenies etiam apud alios, in quorum vtroque legitur:

*Dat. a. 967. ab. Walahusen.*

*Walahus autem OTTONEM II. fine mensis Iulii fuisse, ex alio diplomate apud Eund. p. 335. perspicere licet.*

Illud sane fatendum est, difficilius esse diem, quam locum in diplomate omissum restituere, propterea quod persæpe Rex uno eodemque anno bis in eodem loco fuit, neque certo definiti potest, quandiu ibi fuerit. Satis igitur tunc esse debet, si coniicere possimus, circa hos vel illos dies Imperatorem illuc fuisse.

### E R R A T U M.

*P. 6. l. 25. leg. quae per scripturam quacunque facta sunt.*



# THESES.

## I.

*Homo est auctor linguae.*

## II.

*Iniuste agit, qui, patrato crimine, eiusque accusatus, se illud patrassè confitetur.*

## III.

*Ante Ottonis M. tempora officium quoddam aulicum apud Saxones iam fuisse videtur.*

## III.

*Henricus VI. Richardum, Angliae Regem, a Leopoldo VI. iure repetiūt.*



# THESE

I

der Regierung zu Berlin geworben

II


Auf die von demselben verordneten und bestimmt  
Antritt der Regierung zu Berlin

III

Am 15. Februar 1790 auf die Regierung zu Berlin  
auf die Stelle eines Geheimen Regierungsrathes

IV

Auf die Regierung zu Berlin als Leibarzt



DE  
**DATO DIPLOMATVM  
REGVM ET IMPERATORVM  
GERMANIAE  
DISPV TATIO**

QVAM  
CONSENS V  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
AD DISCEPTANDVM PROPOSVERVNT  
**CAROLVS GOTTLLOB ANTON**  
A. M.  
ET  
**ANDREAS THEOPHILVS HARTMANN**  
BVDISS. LVS.

D. XXIII. MART. A. O. R. CCCCCCLXXIII.

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

X2400771